

BX 1758

G B  
v. 2  
1881



FONDO EMERITARIO  
VALVERDE Y TELLEZ

# CASUS CONSCIENTIÆ

## CASUS

### DE STATIBUS PARTICULARIBUS

#### DE STATU LAICALI

#### SEU

*De Officiis publicis, scilicet, de Judice, Advocato, Apparitore, Reo, Teste, Notario, Custode, Medico, Pharmacopola.*

#### CASUS I.

##### JUDEX 1°.

LAMBERTUS, judex, licet notitiam certam habeat innocentiae CASIMIRI, de gravi crimine accusati, nihilominus illum ad perpetuum carcerem damnat, quia ex allegatis et juridice probatis vere nocens ipsi visus est. Postea vero anxietatibus agitatus, quærit an recte egerit, et quid sibi faciendum sit? Alias, litem PETRUM inter et PAULUM de jure aliquo judicaturus, seclusa malitia, injustam tulit sententiam contra PAULUM. Errore postea tantum detecto, iterum in perplexitate versatur. Theologum interrogat, a quo ad restitutionem erga PAULUM obligatur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An judex damnare possit, vel debeat reum de crimine juridice convictum, sed, scientia privata, ut innocentem certo cognitum?*
- 2° *An juratus (juré) in simili casu, votum contra accusatum dare possit?*
- 3° *An parti læsæ restituere debeat judex qui, absque malitia, erravit in sententia ferenda; vel quid, cognito errore, ipsi agendum sit?*

SOLUTIO :

1. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Controvertitur inter Theologos. Affirmat S. Thomas, 2. 2. q. 64, art. 6; quia judex pro bono communi judicare debet ex allegatis et probatis. Negat vero S. Bonaventura, quia judex*

CASUS. — TOM. II.

1  
006300

innocentem nunquam damnare potest. Hanc posteriorem sententiam in praxi tenendam esse docet S. *Ligorius*, n. 208, cum de causis criminalibus majoribus agitur, præsertim si innocens morte plectendus foret. *Vide Comp. t. 2, n. 2.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Nego prorsus. Ratio est, quia juratus in omni casu votum dare debet ex sua scientia, seu ex intima animi convictione. *V. Comp. n. 6.*

2. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Judex qui inculpabiliter, seu absque culpa theologica erravit, minime ad restitutionem obligari potest. Constat ex dictis in *Tr. de Justitia* ubi de injusto damnificatore. Ergo erravit Theologus a LAMBERTO consultus. *Pontas* tamen, verbo *Juge*, cas. 5, hunc judicem damnat ad restitutionem faciendam, quia vel fuit ignarus, vel incurius; in utroque autem casu graviter peccavit, ac proinde damnum reparare debet. Sed, cum pace *Pontas*, dico facile dari medium, nempe, errorem ex inadvertentia inculpabili, ob aliquam circumstantiam, provenientem. Et revera judex, etiam doctus, in casu particulari errare potest inculpabiliter. *Errare enim humanum est.*

2<sup>o</sup> Judex, errore post sententiam detecto, tenetur sub gravi adhibere media ad damni reparationem, in quantum fieri potest, absque magno incommodo: v. g. admonendo secreto partem læsam, ut ad appellationem recurrat. Ratio est, quia homines sunt custodes actionum suarum, bono publico id requirente, ita ut procurare debeant ne damnum aliis, ex suis actionibus quodammodo perstantibus, proveniat.

## CASUS II.

### JUDEX 2<sup>o</sup>.

FESTUS, judex, pecuniæ cupidus, libenter munera a clientibus accipit, ratus se non illicite agere, cum cæteroqui sit animo paratus ad jus suum cuique in omni casu reddendum. Die quadam, ad eum accessit PHILLO qui, causam suam mancam reputans, munus deferebat, ut ejus benevolentiam sibi conciliaret. FESTUS, re perpensa, advertit justam esse causam, sententiam itaque in PHILONIS favorem tulit, munusque sibi retinuit. Alias, nesciens an TITIO vel CAIO jus esset tribuendum, cum rationes hinc et inde forent æquales, TITIO causam dedit, a quo munus acceperat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An judex munera a ligantibus licite et juste accipere possit?*

2<sup>o</sup> *An munera accepta ad causam, sive justam, sive injustam, tribuendam, post factum retinere valeat?*

3<sup>o</sup> *An teneatur judicare juxta majorem probabilitatem; et quid facere debeat in æquali juris probabilitate?*

4<sup>o</sup> *Quid de Festo dicendum?*

SOLUTIO :

3. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Certo peccat judex qui munera a litigantibus

accipit, quia id omnia jura prohibent, eo quod facile justitia muneribus flectitur. Attamen *probabiliter* non peccat contra *justitiam*, nec proinde tenetur ad restitutionem, quia munera libere donantur. In praxi inducendus est judex ad munera restituenda, vel in pias causas eroganda. *S. Lig. n. 216. — Lugo. — Lessius, et alii communius.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Judex minime retinere potest munera accepta ad sententiam justam ferendam, quia hoc non potest esse materia contractus, utpote pretio non æstimabile. Potest autem *probabiliter* servare munera accepta ad sententiam injustam ferendam, post factum, ut dictum est *de Contr. in genere*, ubi de contractu in materia turpi.

4. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Judex tenetur judicare juxta sententiam probabiliorem, ut constat de jure naturali et ex prop. 2<sup>a</sup> damnata ab *Innoc. XI.* — 2<sup>o</sup> Si autem probabilitas æqualis hinc et inde appareat, res inter utramque partem æque dividenda est, quando agitur de dubio proprietatis simul et possessionis. Si vero dubium solum sit de proprietate, possessori favendum est, juxta regulam juris: *In pari causa, melior est conditio possidentis.* — *S. Lig. ibid. et alii.*

5. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Nunc ad FESTUM judicem. Quomodo judicandus ille? 1<sup>o</sup> Peccavit graviter contra honestatem, si munera notabilia acceperit; leviter tamen, si donationes valde tenues admiserit. Nec excusatur ex eo quod dispositus sit ad justitiam adamussim servandam, quia violat legem naturalem, canonicam et civilem. Non tamen tenetur ad restitutionem, cum rigore loquendo, ante sententiam. — 2<sup>o</sup> Injuste egit recipiendo munera pro sententia justa ferenda, et proinde ea restituere tenetur, ut patet ex dictis. — Non *injuste* tamen, sed *illicite* tantum munera accepisset, si ex mera benevolentia ipsi erogata fuissent. — 3<sup>o</sup> Tandem in ultimo casu peccat contra *justitiam* vel contra *honestatem* tantum, prout accipit munera ex *contractu*, vel ex sola *benevolentia*, et ea accipit ad sententiam *juste* vel *injuste* ferendam, juxta dicta in responsione ad 3<sup>m</sup> *Quæst.* Quoties autem judex injustam tulit sententiam *scienter*, omnia damna parti læsæ illata reparare debet. *S. Lig. l. 5, n. 210 ad n. 216; et l. 4, n. 712. — V. Comp. n. 3 et 4.*

## CASUS III.

### ADVOCATUS 1<sup>o</sup>.

HYPARCUS advocatus celebris, quamplures causas in se susceperat, ita ut omnibus defendendis, tempore deficiente, viribusque non suppetentibus, omnino impar fuerit. Hinc causis nonnullis pauperum, e quibus minus salarii sperare licuit, in longum dilatis, vel prætermisissis, totus in causam celebrem defendendam incubuit, ex eo quod præsertim actor principalis illius causæ, præter ordinariam mercedem, decimam partem litis, seu rei de cujus dominio causa agebatur, ei promiserat, si victoriam esset reportaturus. Quare contigit, ut indefesso labore causam feliciter lucraretur.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An vel quomodo peccaverit HYPARCUS, plures causas suscipiendo quam agere posset, cum detrimento clientium, et an illis restituere debeat?*

2<sup>o</sup> *An advocatus causas pauperum teneatur gratuito patrocinari?*

3<sup>o</sup> *An HYPARCUS, munera potuerit accipere, præter salarium? An etiam decimam litis partem, postquam causam lucratus fuerit; vel an ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO :

6. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* HYPARCUS peccavit contra justitiam graviter, et ad restitutionem pro damno illato tenetur. Ratio est, quia sua incuria causa fuit injusta damnorum quæ clientes passi sunt. Etenim, licet liberum sit advocato hujus potius quam alterius causæ patrocinium suscipere, hoc tamen intelligendum est, nisi jam aliam obligationem susceperit; hoc enim supposito, non amplius liber est aliam cum præjudicio præcedentis suscipere. Hinc advocatus tenetur clientibus declarare se, ob temporis defectum, causæ illorum patrocinari non posse. Si vero isti sponte expectare velint, et jacturam, si quæ sit, subire, hanc sibi et non advocato imputabunt. *Elbel, de Statibus, n. 755.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> Advocatus tenetur ex caritate tueri gratis causas pauperum qui in communi necessitate versantur, sed absque gravi incommodo, nempe aliquid ex superfluo tempore eis largiendo. 2<sup>o</sup> Si vero pauperes in gravi necessitate constituentur, tenetur quidem sub gravi ipsis opitulari, non tamen cum notabili suo incommodo. *S. Lig. Hom. ap. Tr. 13, n. 69.*

7. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> HYPARCUS non potuit munera exigere, nec indirecte quidem requirere; non peccavit tamen sponte oblata acceptando. 2<sup>o</sup> Non peccavit, nisi leges civiles obstant, acceptando aliquam partem rei de qua lis movebatur, præter salarium consuetum, pro casu quo esset causam lucraturus, si omnino spontanee ipsi oblata fuerit. Potest enim cliens ex mera liberalitate totam litem, de qua controvertitur, advocato donare; ergo a fortiori aliquam ejus partem ei dimittere. *Elbel, de Statibus, n. 757.*

#### CASUS IV.

##### ADVOCATUS 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> FLORIMUNDUS causam suscepit tuendam, quam quidem justam a principio reputabat, sed decursu processus detegit esse falsam. Noluit tamen mentem suam aperire, et putavit se obligationi satisfacere, si nullas alias rationes in medium produceret. Alias, causam valde sibi probabilem defendebat; verum in media discussione advertit probabiliter, imo probabilius, injustam esse. Nihilominus in ea defendenda prosecutus est.

2<sup>o</sup> GERULFUS litem magni momenti tuendam susceperat. Ejus cliens 100 aureos ei promiserat, si causam obtineret, et 50 tantum, si eam perderet. Sed ecce, pluribus elapsis mensibus, duo contententes ante

juridicam discussionem bona pace inter se rem totam composuerunt. GERULFUS autem 100 aureos a cliente reclamavit, quia jam laboravit, et fecit quod in ipso erat ad causam lucrandam.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An FLORIMUNDUS potuerit tacere quando advertit causam injustam esse; vel quando detegit partem oppositam solidius fundari?*

2<sup>o</sup> *An GERULFUS, in secundo casu, pactum justum cum cliente fecerit circa laboris mercedem?*

3<sup>o</sup> *An reclamare possit 100 aureos ipsi in hypothesi victoriæ promissos, vel 50 tantum, vel nihil prorsus?*

SOLUTIO :

8. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> FLORIMUNDUS peccavit graviter contra justitiam, tuendo causam quam cognovit esse falsam, licet ad errorem in media discussione tantum adverterit. Etenim advocatus, statim ac errorem detegit, tenetur causam deserere, ne injusto damno cooperetur. Neque satis est ut absteineat a novis rationibus proferendis; nec sufficit ut privatim admoneat clientem de causæ falsitate, quia damnum injustum non solum clientis, sed etiam partis adversæ impedire debet. *S. Lig. n. 225.*

2<sup>o</sup> FLORIMUNDUS non peccavit contra justitiam, neque contra caritatem, defendendo causam adhuc vere probabilem, licet oppositam nunc probabilioris iudicet, quia spem habere potest ut veritas eluceat. Hinc advocati non adstringuntur, ut iudices, ad sectandam tantum opinionem quæ probabilior ipsis apparet. *S. Lig. n. 220-222, et alii communiter. — V. Comp. n. 10.*

9. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> GERULFUS exigere nequit stipendium ultra consuetum, etiam pro casu in quo causam sit obtenturus. Victoria enim ejus labori et curis nihil addit, neque pro victoria sed pro studio et diligentia mercedem accipit. Ergo id quod accipit pro victoria obtenta, injuste accipit et id restituere debet.

2<sup>o</sup> Si vero pactum de 100 aureis fuerit labori congruum, non erit injustum, quia advocatus de mercede justa remittere non tenetur pro casu quo amittat causam.

3<sup>o</sup> Potuisset GERULFUS pacisci de majori pretio pro casu victoriæ obtinendæ, si successus futurus apparuisset valde dubius, ita ut æqualitas inter spem et metum servata esset; tunc enim fuisset contractus ex parte aleatorius.

10. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* GERULFUS reclamare potest stipendium labori congruum. Igitur, si laborem integrum fecerit, v. g. si clientes rem componant pridie diei qua causa judicanda erat, jus habet ad totam mercedem in pacto justo determinatam. Si vero laborem non ad finem perduxerit, id tantum quod labori congruum est, repetere potest. An autem possit reclamare 100 aureos, unica responsione definiri nequit, sed ad justitiam contractus, nec non ad majorem vel minorem impensum laborem attendendum est, juxta modo dicta. *Valentin, Examen raisonné sur les professions, n. 121.*

## CASUS V.

## APPARITOR.

PATERNUS, apparitor, cum plura vadimonia habeat in eodem loco nuntianda, a singulis pro quibus munere suo fungitur, salarium lege determinatum exigit, perinde ac si pro singulis solis iter suscepisset. Dum tempore Paschali ad Pœnitentiæ Sacramentum accessisset, a Confessario ad restituendum obligatur, simulque ad firmiter proponendum se id non esse amplius peracturum. Promittit quidem apparitor, sed secum reputat: *Scio quid faciam*. Quid igitur fecit? Ecce: recurrente eodem casu ut nihil lucri perderet, toties iter suum iteravit quot vadimonia fuerunt deferenda, ita ut, crescente labore, merces quoque adaucta fuerit. Verum, cum alias a Confessario interrogatus fuisset, et novam industriam ei aperuisset, ab eo iterum carpitur, et ad restitutionem adstringitur.

HINC:

- QUÆR. 1° *An apparitor multiplex salarium exigere possit, si diversa vadimonia eadem vice nuntiat?*  
 2° *An apparitores licite et juste munera accipere valeant?*  
 3° *Quid de iis dicendum, qui res exsequendas ad aliud tempus differunt?*

SOLUTIO:

11. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° *Affirmo* quidem de jure naturali, ubi lex positiva non obstat, quia apparitor eandem præstat utilitatem singulis ac si pro uno solo iter et operam susciperet. Recole dicta *de Contr. in genere*, n. 675.

2° *Negant* autem plures pro locis ubi lex civilis id prohibet, ut in Gallia, quia legislator jus habet determinandi quid publicis officialibus retribuui debeat. Ita *Valentin, Examen raisonné sur les professions*, n. 70. Attamen, quidquid sit de lege, in Gallia usus invaluit, sciente et vidente Gubernio, ut advocati et procuratores ita rem componant, ut pro singulis vadimoniis apparitores fere idem pretium habeant, sive in eundem locum pergant, sive in loca diversa. Rationem afferunt, quia numero vadimonia multiplicatur, ut aiunt, responsabilitas, et ideo etiam pretium multiplicari debet. Apparitor igitur videtur hoc pretium posse repetere.

12. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* *Nego per se*. Ratio est, quia donationes hominibus hujus conditionis sponte fieri non solent. Quare, si excessum pretii accipiant, illum restituere tenentur. Excipe, nisi labori extraordinario et indebito vacarent. *S. Lig.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Peccant defectu diligentiae ex officio debitæ, et justitiam lædunt, si inde damnum pro aliquo sequatur: v. g. pro creditore, qui solutionem tempore debito non accipit; consequenter ad restitutionem tenentur.

## CASUS VI.

## REUS IN JUDICIO.

PALEMON, furto gravissimo occulte patrato, ob præteritam infamiam, in rei suspicionem facile venit. Itaque a satellitibus comprehensus, in carcerem detruditur. Pluries evasionem tentat, sed conatibus non succedit eventus. A iudice interrogatus, crimen iterum iterumque negat. Sententia juridica ad perpetuum carcerem damnatur. Non diu tamen in atra custodia fuit detentus: nam, muro terebrato cum instrumentis a PAULO amico ipsi subministratis, aufugit, evasit, erupit. Iterum comprehensus, se defendit satellites evertendo, eorum vestes lacerando; feliciter ab eorum manibus sese eripit, præcipiti fugæ se committit, donec in extraneam ditionem se receperit.

HINC:

- QUÆR. 1° *An PALEMON licite crimen suum negaverit?*  
 2° *An fugam e carcere arripere potuerit, sive ante, sive post iudicis sententiam, etiam murum carceris terebrando, vel fores effringendo?*  
 3° *An PAULUS, ejus amicus, graviter peccaverit, illi instrumenta subministrando, quorum ope evadere posset?*  
 4° *An peccavit reus, se a satellitibus defendendo, et ab eorum manibus aufugiendo?*

SOLUTIO:

13. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* *Affirm.* Ratio est, quia juxta sententiam communem reus non tenetur crimen suum fateri, nisi adsit contra ipsum saltem semi-plena probatio. Atqui, a iudice interrogatus, non videtur adhuc semi-plene convictus: nam in suspicionem venit tantum ob furtum olim patratum; sed suspicio illa non sufficit ad probationem saltem semi-plenam adstruendam: ergo... Insuper, juxta plures graves Theologos, reus ne tenetur quidem veritatem fateri, etiam post semi-plenam probationem, quando agitur de pœna maxima subeunda, quia videtur actus heroicus tunc seipsum reum agnoscere, et proinde iudex non censetur id ab eo sub præcepto rigoroso exigere. Interrogans igitur intendit præcipue accusatum ex ipsius ore judicare, et ex propriis verbis confundere. *S. Lig.* probabilitatem hujus sententiæ admittit. Hoc a fortiori valet ex novo procedendi modo qui viget in Gallia et in aliis locis, ubi reus non interrogatur directe circa factum ipsum, sed tantum circa varias circumstantias a testibus allegatas.

14. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1° Licet reo fugere, juxta communem sententiam, si nondum fuerit damnatus, quia ante sententiam nemo pœnam subire tenetur. Idem quidam dicunt, si reus fuerit quidem damnatus ad pœnam gravissimam, et carcer assignetur ad custodiam, donec pœna illa plectatur. — 2° *Negant* vero communius, si carcer ad pœnam per sententiam iudicis jam assignatus fuerit, quia tenetur justæ sententiæ obedire. Excipiunt ta-

men plures, si carcer ille sit durissimus, quia esset actus heroicus subire pœnam gravissimam, quando facile effugi posset. — 3° Quando autem illicitum non est reo effugere, hic non peccat fores effringendo, vel muros terebrando; quia, ubi licitus est finis, etiam licita sunt media per se indifferentia. Sic *probabilius S. Lig. n. 282*. Non tamen reo licet custodem pecunia corrumpere, quia illius peccato cooperaretur. *S. Lig. de Statibus, n. 280. — Hom. ap. n. 86-87.*

15. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Ratio est, quia, si licet aliquando reo fugere, non est illicitum eum in fuga adjuvare, non tantum consilia, sed etiam illi instrumenta suppeditando, v. g. funes, etc., modo ejus fuga non sit societati pernicioza. Graviter tamen peccarent custodes vel alii ministri justitiæ, si fugæ rei cooperarentur, siquidem ad reos custodiendos constituuntur. Neque ulli hominum licitum est adjuvare reum in effractione ipsa carceris, quia secus omnis securitas cessare posset; hoc enim ultimum aperte et graviter bono communi adversatur. *S. Lig. ibid.*

16. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Peccavit PALEMÓN ministris justitiæ resistendo, ipsorumque vestes lacerando, quia nunquam auctoritati resistere licet. Excusari tamen a peccato posset, si e manibus satellitum absque resistantia se eripisset. *S. Lig. n. 280*. Imo simplex eversio satellitis cæteraque hujusmodi ad fugam arripiendam, ubi agitur de tanta pœna vitanda, ut quid parvum, adeoque pro nihilo reputanda videntur. Saltem non peccavit graviter leve damnum eis inferendo, ad grave malum effugiendum, si non fuit resistantia gravis.

## CASUS VII.

## TESTIS IN JUDICIO.

BARBANTIUS, cum argenteam supellectilem e domo ARMANDI occultissime sustulisset, in judicium ob aliquam rei suspicionem compulsus, furtum constantissime negavit. Advocati sunt pariter, die indicta, duo BARBANTII contubernales, qui rem oculis viderant, nec ignorabant ubi delicti corpus lateret. Eorum autem unus in dissitam regionem aufugiens, non comparet; alter vero in tribunali se sistit quidem, sed nihil se prorsus scire contestatur, et id juramento confirmat. Absolvitur proinde BARBANTIUS et dimittitur. ARMANDUS igitur, ad rem suam recuperandam, in perpetuum impotens efficitur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An testis se subducens a testimonio ferendo contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur, BARBANTIO non restituyente?*
- 2° *An ad restitutionem multo magis teneatur ille alter mendax et perjurus, prout in casu?*
- 3° *An testis teneatur veritatem aperire, si factum sub secreto naturali, vel commisso, noverit?*
- 4° *An testis crimen omnino occultum revelare teneatur?*

SOLUTIO :

17. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Testis qui citatus aufugit, graviter peccavit contra justitiam legalem, seu contra obedientiam judici debitam in re gravi et ad societatem necessaria. Sed probabilius non peccat contra justitiam commutativam, quia citatis lex non imponit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ. *S. Lig. n. 270.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Ille alius testis qui tacuit in judicio, seu dixit falso se nihil scire, grave peccatum contra obedientiam judici debitam, et ingens perjurium commisit; attamen *probabiliter* contra justitiam non peccavit, quia se mere negative habuit, nec fuit causa damni quod ARMANDO obvenit. Testis enim non tenetur veritatem deponere, nisi ex præcepto judicis, et proinde eam celando contra solam justitiam legalem peccat. Ergo ad restitutionem non tenetur. *S. Lig. ibid.*

18. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Neg.* nisi urgeat boni publici ratio. Testis enim *per se* non tenetur obedientiam judici præstare, quando veritatem sub secreto naturali vel commisso cognovit; quia judex seclusa ratione speciali boni communis, eum obligare nequit ad præceptum legis naturalis violandum. Testis igitur in hoc casu dicere potest, se nihil prorsus scire. *S. Lig. n. 268. — Recole dicta tom. I, de 8<sup>o</sup> Præcepto, cas. 10, n. 436 et seq.*

19. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. Neg. probabilius* de jure communi, si testis sit omnino certus sibi soli crimen notum esse; quia ad reum damnandum necessario duo testes requiruntur. Hinc axioma: *Testis unus, testis nullus*. Secus vero dicendum, juxta Jus Gallicum, vel aliud simile, ex quo unicus testis sufficere potest ad rei damnationem, et nihil aliud a juratis exigitur, nisi ut asserant se intimam facti convictionem habere, quin sententiam suam probare debeant.

## CASUS VIII.

## NOTARIUS 1°.

1° MELCHIOR, notarius, haud infrequenter interesse solet testamentis condendis, et aliis contractibus ac litibus diversis; quare vi officii sui instrumenta publica bene multa conficere cogitur. Sed lucri majoris cupidus, executiones instrumentorum de industria in longum protrahit, ut partes salarium majus afferant ad negotia citius promovenda. Insuper tot negotia suscipit simul gerenda ut omnibus nisi longo tempore satisfacere nequeat. Præterea ex incuria aliquando nonnullas formas, ex lege præscriptas, omittit, ita ut clientium damnum haud semel subsequatur.

2° VICTORINUS, debitis pressus, timet ne honorum cessionem facere cogatur. VICTOR, ejus amicus, opem suam ei promittens: « Fingamus, ait, mutuum 5,000 francorum a me tibi præstitum: sic summa tibi servabitur. » Adeunt SABINUM, notarium, qui, rei haud ignarus, instrumentum conficit. Reapse cessione mox facta, VICTOR, qui curaverat ut hypothecæ privilegio gauderet, 5,000 fr. cum creditorum detrimento obtinet.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quomodo peccent notarii, si, incuriosi in officio suo, negotia absque necessitate differant?*

QUÆR. 2° *Quid de MELCHIORE statuendum in primo casu?*

3° *An SABINUS, notarius, in secundo casu, ad restitutionem teneatur, ut in injustitia participans?*

4° *An valeat hæc excusatio : Nisi instrumentum tale confecero, ab alio notario conficietur?*

SOLUTIO :

20. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Peccant graviter, si negligentia eorum sit gravis, et inde grave damnum alicui eveniat. Idcirco ad restitutionem sub gravi tenentur. *Vid. Comp. n. 20. — S. Lig. n. 230 et 231.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* MELCHIOR, 1° peccat graviter per se, res sibi commissas protrahendo, et majus pretium postea ad eas accelerandas accipiendo, ut patet. 2° Item peccat graviter, tot negotia simul suscipiens, ut ea omnia tempore debito pertractare nequeat, si inde clientes grave damnum patiantur. Attamen ab injustitia foret excusandus, varia negotia simul suscipiens, si diligentia extraordinaria uteretur ad ea conficienda, v. g. si vigiliam protraheret in seram noctem. Ex hac eadem ratione majus stipendium accipere posset ad urgens negotium expediendum. 3° Facile peccat graviter, formas legales in scriptis omittendo, quia id facile in magnum detrimentum clientium suorum cedere potest, v. g. si propterea actus invalidi declarentur, si contractus corruant.

21. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Agendi ratio SABINI est iniquitatis plena; cooperatur enim scienter injustitiæ gravi VICTORINI debitoris et VICTORIS ficti mutuatoris, qua damnum notabile creditoribus prioris inferitur. Ergo SABINUS, deficientibus aliis damnificatoribus, utpote cooperatur positivus, seu in injustitia participans, ad restitutionem obligatur.

*R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* Minime gentium. Hæc enim excusatio sic sonat : « Nisi injustitiam hanc fecero, alius faciet. » Quid inde? Si alius furetur, ipse damnum resarcire debeat; si autem tu prior hanc iniquitatem patres, tu ipsissimus, et non alius, onus restitutionis subibis. Ergo, si tu coopereris furto aliorum, actum injustum conficiendo, teneris, his deficientibus, damnum resarcire, sicut alius quilibet ad id teneretur, si loco tuo hoc fecisset.

## CASUS IX.

### NOTARIUS 2°.

1° RUTILIUS, VIRGINIÆ nepti suæ, decem millia fr., donatione inter vivos, contractu a notario confecto, dedit; simulque EUGENIUM, nepotem suum, pro reliquis bonis hæredem universalem instituit. Sed notarius, in instrumento donationis, ex oblivione, consensum seu acceptationem neptis referre prætermisit. Mortuo paulo post RUTILIO, EUGENIUS formæ legalis defectum detegit et a iudice obtinet, ut donatio invalida declaretur. Hinc ipse, loco VIRGINIÆ, 10,000 francorum accipit; VIRGINIA autem a notario indemnitate pro damno repetit.

2° DARIUS, notarius, instrumentum publicum venditionis prædii alicujus confecturus, advertit contrahentes non verum venditionis pretium, sed

aliud multo minus in contractu publico declarare, eo fine ut tributum minus fisco persolvant. Hoc non obstante, instrumentum perficit.

HINC :

QUÆR. 1° *An notarius in primo casu ad restitutionem erga VIRGINIAM teneatur, etiam in foro interno?*

2° *An DARIUS, notarius, in secundo casu, Gubernio debeat restituere, ob cooperationem in tributi defraudationem?*

3° *Quid, si DARIUS hanc pretii immutationem contrahentibus suasisset?*

SOLUTIO :

22. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1° Notarius certo tenetur ad restitutionem in foro externo, seu post judicis sententiam. 2° Tenetur etiam ad damnum reparandum in foro interno, si error ex negligentia graviter culpabili evenierit. Secus vero dicendum probabiliter, juxta multos, si omissio ex mera distractione, seu ex sola inadvertentia facta sit. Non datur enim obligatio restituendi in foro interno, seu ante judicis sententiam, ubi deest culpa theologica, etiamsi damnum eveniat occasione contractus vel quasi-contractus, ut in casu, prout ait *S. Lig. l. 4, n. 554. — Lugo. — Lacroix, etc., contra alios. — V. Comp. de Justitia, n. 661.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Non videtur inquietandus DARIUS, quia non constituitur ex officio ad tributum exigendum, seu, quia hoc ad ejus munus non pertinet. Recole dicta *de Restit. in specie, tom. 1, n. 755.*

23. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Neque de injustitia aut peccato est arguendus DARIUS, notarius, etiamsi pretii immutationem contrahentibus suasisset; quia, si non peccant contrahentes, ut supra, ubi de tributis, dictum est, saltem probabiliter neque peccabit notarius ipsis cooperando, cum id impedire ex officio non teneatur. Etenim notarius, licet sit homo publicus, non est tamen tributis præpositus, et proinde non tenetur ex officio proprio ad tributa colligenda, vel ad eorum defraudationem impediendam. Ergo quoad tributa habendus est ut quilibet alius privatus.

## CASUS X.

### CUSTOS.

BARBATIANUS, custos agrorum et vinearum, rite quidem solet officio suo fungi; an vero in omnibus? hoc tibi perpendendum nunc venit. Hinc 1° pluries incuriosum in invigilando se habet, sed nescit utrum damnum inde fuerit subsecutum; 2° non raro se abscondit, ut incautos damnificatores, ex latebris prosiliendo, facilius deprehendat; 3° aliquando denuntiationem prætermittit, quia negotium tanti momenti non est; 4° pluries pecuniam accepit ne damnificantes proderet, atque etiam ad cenam a damnificatoribus invitatus, vel ab eis muneribus cumulatus, se minus rigidum exhibuit, cum damno tum privatorum qui indemnes effecti non sunt, tum fisci qui, ratione mulctæ infligendæ, lucro privatus est; 5° quandoque etiam, dum alios a damnificando arcebat, ipse damnificavit, nec officii circumstantiam in confessione aperuit.